



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1561. usque ad annum 1562

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118596**

§. 76. Varsoviensia comitia, & Scemiensis Synodus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66624](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66624)

§. LXXVI.

Sæcul. XVI.  
A.C 1561.*Varsoviensia comitia, & Sceminien-  
sis Synodus.*

Anno sequenti Varsoviæ celebrabantur comitia, in quibus post crebras disceptationes inter Prælatos, & Catholicos contra spurios Reformatores habitas, tandem Præsules statuebant, condendum esse decretum, vi cuius adulterini Evangelii Præcones, qui in Procerum ædibus, ac castris degunt, procurare tenerentur, ut a locorum Episcopis instituantur, atque approbentur, eo fine, ut deinceps juxta Sanctorum Patrum doctrinam Evangelium prædicent, necnon decimas, aliaque jura Ecclesiastica persolvant: Verum hi, ut ejusmodi decreti vim eluderent, mentiebantur, quod præfati Patres ab Apostolicæ fidei puritate, & Virorum Apostolicorum, quinimo ab ipsa Nicæni Concilii doctrina recesserint: porro hoc responso tantum effecere, ut in pristina, qua fruebantur, libertate relinquerentur, ne sua Catholici violenter ab eis privarentur: concessa igitur hac libertate Pindezovenses, necnon prætensi Reformatores Sceminix conventum agunt, in quo Petrus Gonesius palam propugnare audebat, quod Pater æternus major sit Filio, & Spiritu sancto,

T 2

fo-



Sæcul. XVI.  
A. C. 1561. solumque Apostolorum Symbolum sit nostræ fidei Regula, inter mera autem hominum commenta reputentur Nicænum, illudque, quod Divo Athanasio adscribitur: insuper affirmabat, quod Sanctissima Trinitas non sit Deus, Filius vero Patre minor existat, sitque quidem Deus verus, talis tamen, qui semper honoravit Patrem suum, a quo id totum, quod est, recepit: idioma- tum autem communicationem æque, ac Verbi cum Patre consubstantialitatem nil nisi chimæram dicebat, atque istis omnibus erroribus simul hæc Blasphemias subjungebat, effutiens, Verbum, quod est invisibile, in Virginis sinu transmutatum fuisse in carnem, aut Deum mutatum esse in hominem. Has impietates Gonesius a Serveto mutuabat, easque spurii Reformatores detestabantur, atque inter eos Melancton, qui adhuc vita superstes erat, in consilium vocatus hanc doctrinam palam Arii hæresin sapere decidebat: ast insuperhabita hac definitione Gonesius nullatenus sententiam suam mutabat.

§. LXXVII.

*Aliud Pindzovense Socinianorum  
conventiculum.*

*Hist. Ref.*  
*l. c. Sandius*  
*Bibl. p. 184.*

Anno Christi millesimo quingentesimo  
quinquagesimo octavo Pindzovæ  
aliud